



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

14. Joannis XIII. Pont. Max. Bulla Synodalis, assistentibus Ottone M. & Ottone II. Imperatoribus, Data IV. Nonas Ianuarij, Indictione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

14.

*Joannis XIII. Pont. Max. Bulla Synodalis, assidentibus
Ottone M. & Ottone II. Imperatoribus, Data IV.
Nonas Ianuarij.*

IOANNES Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Abbati, amabili nobis in Christo filio, Theitfrido Apostolicam benedictionem & salutem. Congruit Apostolico moderamini, pia religione pollentibus beneuola compassione succurrere, & poscentium animis alacri deuotione impartire assensum, ex hoc enim lucri potissimum à Conditore omnium Deo procul dubio promeremur, dum venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint statum reducta. Igitur quia Religiositas tua perit, vt Monasterio tuo, quod in suburbio Treurenf. in honorem beatissimi Confessoris Christi Max. constructum esse dignoscitur ob conseruandam tibi, atque fratribus vel successoribus tuis Monastica tranquillitatis normam S. Apostolicæ nostræ (cui authore Deo præsidemus) Ecclesiæ priuilegium concedamus, piæ tuæ petitioni beneuola intentione assensum accommodare curauimus, decernentes Apostolicæ autoritatis præcepto, vt congregatio Deo, sanctoque Maximino religiosè deseruiens, sicuti à carissimo filio nostro Ottone, cæterisque Regibus, vel Imperatoribus Francorum concessum est, liberam deinceps habeant potestatem creandi inter se, quem secundum Deum sibi Abbatem elegerint, nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona infra Monasterium, nisi à te aliove Abbate Successore tuo vocatus, quicquid pro suo libitu ordinare, vel temere exercere præsumat. Præterea Apostolica nostra autoritate omnimodis interdiciamus, ne cui vnquam Ecclesiæ, vel sedi concambio, vel alio aliquo negotio subdatur, sed tali libertate, & immunitate sicut Prumiense Monasterium, cæteraque loca Regalia inoffensè & perpetualiter semper fruatur: ipse autem locus Monasterij perenniter sub Mundiburdio Regum vel Imperatorum filiorum scilicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præcepto Apostolico iubemus, vt permaneat, nulli vnquam personæ beneficiarius, aut inuadendus pateat, sed ad vsus & tranquillitatem Monachorum ibi sub regula S. Benedicti Deo militantium absque vllius contradictione liber permaneat. Ad cumulum quoque vel augmentum Monastica tranquillitatis adijcimus, ne qua cuiuslibet dignitatis persona quicquam vel minimum alienare vel minuere de rebus Ecclesiæ præsumat tam ex his, quæ modo Monasterio tuo collata sunt, quam ex his, quæ cæteri fideles in dies collaturi sunt. Si quis autem (quod absit) nefario ausu præsumere hæc, quæ à nobis ad laudem Dei omnipotentis pro stabilitate iam dicti Venerabilis Cænobij statuta sunt, infringere, aut in quocunque violare studuerit ex autoritate Dei omnipotentis per interuentum beati Petri Apostolorum Principis (cuius vice fungimur) & nostræ humanitatis Apostolicæ constitutionem & assensum omnium comprouincialium siue Suffraganeorum Episcoporum anathematis vinculo inextricabiliter innodamus. Scriptum per manus Stephani Scrinarij S. R. E. lectum in Synodo Romæ habita assidentibus diuis Imperatoribus Ottone Magno filioq; eius æquiuoco, Anno Imperij maioris sexto, Iunioris primo. Datum IV. Nonas Ianuarij.

15. OTTO-